



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 14. Intemperantiâ pereuntes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Plin. lib.  
8 Nat.  
hist. c. 5.

femus præoptandum? Videmus, nihil deesse timentibus Deum; avaris autem nihil sufficere, & ditissimos conqueri de paupertate: ut vel hinc sapere possimus. *Optimum est enim, aliena insania frui. Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.*

## §. XIV.

*Intemperantia pereuntes.*

Politian.  
in Nutric.  
Hermip.  
apud Diog.  
eg.

Neque animæ periculum est tantum, sed & vitæ præsentis; quæ crapulâ acciditur. Quid interest, laqueo, an cibo suffoceris; fluvio, an dolio submergaris? Acino vuæ passæ strangulatus est Anacreon Teius, teste Politiano. Immodico vini haustu, anno suæ ætatis LXX. iugulatus est Archesilaus Prytanæus, ut memorat Diogenes. Aiunt & Andobuntum Anglorum regem in cœna quandoque tantum vini sumfisse, ut eo obrutus repente excesserit à vita. Mille sunt exempla. Sed Medicorum sententia est, pl<sup>us</sup> nocere nimiam cibi, quam potus saturitatem. Itaque & hinc multi in morbos, immo & in subitas mortes labuntur. Domitium Aphrum Eusebius scribit, cibi superfluitate redundantem, in cœna, perijsse. De Septimo Seuero Imperatore refert Aurelius Sextus, eum, dum membrorum omnium,

maxi-

maximè pedum dolorem pati nequiret, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ auidiùs deuorauisse: quem dum concoquere non posset, cruditatem passus expirauit. Ac de Valentiniano Imperatore idem author recenset, cum intemperantia cibi ac saturitate, cum Quadorum legationi respõderet, voce impetu sanguinis amissa, sensu integrum expirauisse. Quod & de Iouiano Imperatore testatur Baptista Egnatius. Certè Gregorius Turonensis author est, Childericum Saxonem, cum aliquando ad ambas vsque aures cibo se ingurgitasset, eo suffocatum, in lecto, mortuum, repertum. Nimirum in compendio dici potest: *Propter* Eccli. 37  
*crapulam multi obierunt: qui autem abstiniens* 34.  
*est, adicit vitam.* Consultius etgo est & vino, & cibo nimio carere; quàm abuti, si abundes. Nec tamen seruis suis nihil dat, qui nimium non dat Deus; sicut neque improbos semper finit abundare.

## CAPVT. IX.

*Quàm prodigiosa liberalitate Deus seruis  
suis, maximeq; religiosis prouideat  
tempore necessitatis?*